



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Jus Canonicvm R.P. Pavli Laymanni, Soc: Jesu Theologi, Et  
Olim In Alma Et Episcopali Academia Dilingana SS.  
Canonum Ordinarii Professoris**

**Laymann, Paul**

**Dilingæ, 1666**

Capitvlvm III. Præsenti.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62559](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62559)

## CAPITVLVM III.

## Præsenti.

## PARAPHRASIS.

Si Legatus à latere beneficium proximè vacaturum in Ecclesia aliqua sibi referuet in fauorem certæ personæ, datis executoribus: atque accidat legationem eius prius finiri, (puta per mortem, reuocationem, aut reditum in Urbem) quàm collatio beneficij vacantis facta est, tum referuatio & omnis processus super beneficio irritus censeri debet.

## SUMMARIUM.

1. Legatus à Latere potest beneficia, antequam vacent, suæ collationi referuare, etiam in fauorem certæ personæ.
2. Pendente vna referuatione sua in ecclesia Cathedrali, vel Collegiata, non potest aliam referuationem facere, nec si in beneficijs alijs ad vnius collationem spectantibus aliquod referuauit, potest aliud beneficium in eiusdem Collatoris præiudicium sibi referuare.

**NOTANDVM Vn.** Legatus à Latere potest beneficia, antequam vacent, suæ collationi referuare, etiam in fauorem certæ personæ: Sed non potest ita referuare, vt personæ ius aliquod conferatur ad petendum; cum per tale ius expectatiuæ præbeatur occasio mortem alteri machinandi. Ita habetur in c. 2. de concess. præb. & docet Zab. Clem. 2. de offic. Ordin. q. 3. Anchar. in c. si eum, de præb. in 6. Garcias de benefic. p. 3. c. 5. n. 35. Azortom. 2. lib. 5. c. 29. q. 1. & seqq. & dixi lib. 4. tr. 2. c. 10. n. 2. ver. præterea, & videri potest Trident. Sess. 24. c. 19. de reformat.

**QVÆRIT** hîc Gl. ver. finitur legatio: Si Legatus causam alteri delegarit, iurisdictio delegati perpetua censetur per solam citationem. Cur ergo executoris iurisdictio ac potestas non similiter perpetuatur, si in cau-

sa illa procedere cœpit, partes citando, potestatem publicando, &c. Respondet rectè: Quia referuationes beneficiorum odiosæ, ac restringendæ sunt; quippe cum per eas Ecclesiæ grauentur, & ordinarijs collatoribus præiudicetur. Si tamen Papa, vel Legatus ex mandato speciali Papæ referuet beneficium in fauorem certæ personæ, non extinguitur potestas executoris, si in negotio progredi cœpit, vt docet Guil. Dur. tit. de Legato, §. Nunc tractemus, n. 14. Gl. hic ver. finitur, Dominic. col. 3. & constat ex c. si cui, 35. in fine, de præb. in 6. Deinde si Legatus à latere aliquem Canonicum creauit, constituto executore, vt proximè vacaturam præbendam ei conferat, quod executor exequi possit, etiam finita legatione mandantis, tradit Gl. margin. hic: propterea quod Canonico de iure debeatur præbenda, vt dixi cit. c. 10. n. 2. Vide Anchar. in cit. c. si eum.

## §. Cæterùm.

**S**I Legatus à latere in Ecclesia Cathedrali, vel Collegiata beneficium vacaturum suæ collationi referuauit, non potest ea pendente aliam referuationem facere. Et si ex beneficijs alijs ad vnius collationem spectantibus aliquod referuauit, non potest ea adhuc pendente, aliud beneficium in eiusdem collatoris præiudicium sibi referuare. Vide etiam quæ dicta sunt in c. mandatum, 38. de rescript.

## CAPITVLVM IV.

## Deliberatione.

## PARAPHRASIS.

Legatus, etiam si à latere sit, non potest Ecclesias Cathedralis, aut Collegiatas conferre, aut collationi suæ referuare. Idemque dicendum de dignitatibus, quæ in Cathedralibus post Episcopatum maiores sunt, videl. apud nos Præposituræ, si per electionem Capitulum arem prouideri solent, quod Legatus se immiscere, & electores impedire haud possit.

S V M-